

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio XI. De coena domini

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

242 DE FIDE INFANTUM.

XXXVII. Non verò diffitemur nos modum, quo fidem vel accipient vel habeant, nescire. Neque hoc inficiamur de ipsis illis. Nam rationem quoque habent, non tamen sciunt se habere; non effectis, ex quibus eam arguere possis, ostendunt. Laborant quoque vitio originali, nec hoc ipsum sciunt, nec quisquam nisi ex scripturā constaret, resciseret.

Tantum quoque de priore N. Testamenti sacramento, S. Baptismo.

DISPUTATIO XI.

DE COENA DOMINI

THEISIS I.

A Lterum Novi Testamenti Sacramentum Altaris dicatur, & Sacra Domini Cœna, Communio, Synaxis, atque à fine Eucharistia.

COENA
DOMINI
QUEDAM

II. Est autem actio à Christo instituta, quā modo supernaturali cum benedicto pane & vino verum corpus & verus ejus sanguis accipitur, editur, bibitur; eoque promissione obsignata & fide confirmata Christus cum suis meritis & beneficijs omnibus utenti adipicatur.

PRESENT.
CORP. ET
SANGUIN.
CHRISTI
IN S. COE-
NA N. Z.
CANTAB.

III. Hæc omnia fundantur in institutione divinâ, à quā dependet totum esse sacramenti, & tamquam à principio proprio omnium controversiarum quæ circa ejus materiam, formam & effectus agitantur, dijudicatio.

IV. Dicimus verò in sacrâ cœnâ unâ cum vero pane & vino adesse & sumi verum corpus & sanguinem Christi, contra Calvinum aliosque cum veteres tum novos sectarios.

dH

V. Circa

V. Circa annum Christi millesimum quinagesimum vixit Berengarius Turonensis, Diaconus Ecclesiæ Andegavensis, qui realem in coenâ præsentiam aperte negavit & improbabit; quod ante ipsum quoque fecerant Joan. Scotus circa A. C. 1000, in Concilio Vercellensi damnatus, & Bertramus circa A. C. 1000-1006, à Paschasio Abbe Corbeiensi refutatus. Omitto nunc Gnosticos, Manichæos & universim eos, qui cum Christum negarent verum corpus & sanguinem adsumisse & habuisse, consequenter ejus quoque in Eucharistiâ præsentiam negabant.

VI. Berengarium refutarunt Adelmannus Episcopus Brixiensis, Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Guimundus Aversanus & Algerus, quorum scripta exstant.

VII. Damnarunt quoque aliquot Synodi: Vercellensis sub Leone IX, Turonensis sub Victore II. Ipse in generali Lateranensi sub Nicolao II Papa A.C. 1054 revocavit, & errorem quem tradiderat anathematizavit. Dist. XI de Consecrat. cap. XLII, *Ego Berengarius.*

VIII. Nihilominus eum resuscitarunt patrum memoria And. Carolostadius, Huld. Zwinglius, Jo. Oecolampadius, & qui eos sequuti sunt Calvinus, Bucerus, Martyr, Beza, & horum qui vestigijs insistunt erroresque docent & defendunt.

IX. Contra est fundamentum nostræ sententiae P.R.A.S.E.N.T.I.A PAO-
opt. max. institutio & verba Christi: τέτοιος δε τὸ σῶμα μόνος
(Matth. xxvi, 26; Marci xiv, 22; Luc. xxii i, 19; 1 Cor. xi,
24.) quibus subjungit Lucas, τὸ ὑπέρ οὐκέτι διδόμενον; Paulus καθόρθων dixit. Τέτοιος δε τὸ σῶμα μόνος τὸ τῆς κληροῦ 21 φ-
εντοι. Hh 2 γήνεσις,

γίνεται, τὸ δὲ πολὺν εὐχαρίστην εἰς ἄφεσιν ἀμαρτιῶν, σις
Matthæus & Marcus: Lucas autem & Paulus, τῷ τοῦ
πονήσεων κατέκειται οὐδέποτε, εἰ τοῦ ἐμῷ αἴρεται. Uterque
etiam mandati promulgationem addidit: τῷ ποιεῖτε εἰς
τὴν ἐμὴν ἀράμετος.

X. Hæc verba accipimus ut sonant, & sensum
quem suā propriā vi & modo significandi in cuiusvis
intellectu efficiunt, retinemus, neque adsentiri possumus
ijs, qui ullo modo obscurant aut torquent.

XI. Duo autem possent esse modi, quibus pro-
priè explicarentur. Prior, ut sicut in omni propositione
adfirmante ita etiam hic, subjectum & prædicatum dice-
rentur supponere pro eodem, ita ut vocula *Hoc* non esset
posita pro ullo alio, quam pro quo ponitur vox prædi-
cati.³ Quoniam verò Servator de eo quod accepit, fre-
git & discipulis suis dedit, dicit *Hoc est corpus meum*, non
videtur à voce *Hoc* excludi posse panem. Amplexor
itaque aliud modum, quo τὸ *Hoc* quidem suo conceptū
involvat panem & corpus: sed quia panis non est corpus,
sed tantum id, cum quo nobis corpus datur; intellectus
noster concipiendo terminos hujus enunciationis super
subjectum τὸ *Hoc* ita fertur, ut alterutrum pro quo po-
nitur sumat, atq; ita cum prædicato componat unumque
ad alterum referat, ut utrumque pro eodem supponere
intelligatur, sicut in adfirmantibus fieri oportet. Ubi etiam
observandum, illud per subjectum confusè & sub ratione
individui vagi significari; per prædicatum autem subjecto
additum propriè & distinctè exprimi & determinari.

XII. Estque hæc synecdoche in familiari sermo-
ne adeò frequens & usitata, ut excidat nobis de nullo mi-
nus quam defigurato sermone cogitantibus; neque non
facilis

ET SANGUINIS CHRISTI IN S. COENA. 245
facilis & perspicua, ut sine ullâ disquisitione à nemine non intelligatur. Ita dicimus, ostendendo poculum: *Hoc est vinum*; ubi quidem ^{ad} *Hoc* poculum etiam respicit & involvit, sed quando ad prædicatum resertur, id intellectus non adtendit, sed isthuc præterito concipit tantum secundum quod cum prædicato pro eodem supponit.

XIII. Hunc itaque dicimus simplicem, planum & genuinum esse horum verborum sensum, à familiari modo concipiendi & intelligendi non tantum non abhorrentem, sed ab ipso omnino deductum & suppeditatum. Neque aliter tunc loqui conveniebat Servatorem. Ipse enim morti vicinus tamquam testator Apostoli testamentum & novi fœderis sacramentū condebat & relinquēbat. Jam verò testatorum verba solent plana & perspicua esse, nec ab eorum proprietate recedere licet, nisi ubi manifestum est, aliter sensisse testatorem. Longè itaque alia ratio est horum verborum, ac eorum quæ fiunt in concione ad populum, ubi interdum ornandi, amplificandi aut delectandi, interdum quoque occultandi ergo à communi modo loquendi discedimus. Horum nihil hīc locum inventit. Testamentum est, præceptum est de ceremoniâ religiosâ & cultu divino, quod privatim dabant amicus amicis, quibus concessum erat nosse mysteria Dei; Dominus Apostolis, quos legaturus erat in orbem terrarum, ut idem testamentum & mandatum proponerent & promulgarent; denique Magister discipulis, quos vicissim gentium doctores esse volebat & si quæ obscuriora aut intricatoria privatim docebat. Verba itaque nihil minus oportebat esse quam involucris & figuris opera, aut à communi modo loquendi & intelligendi aliena, ne te-

*Joh. 15, 15.
Luc. 8, 10.*

Hh 3.

stator

246 DE PRÆSENTIA CORPORIS

stator heredibus μῆλοις ζεῦσι objecisse videretur, voluntatemque Domini nec Apostoli intelligerent, nec doctrinam præceptoris discipuli dissererent, unde circa exse-
quutionem mandati error & circa doctrinam inscita & ambiguitas nasci posset.

XIV. Et certè, quia propriè loqui voluit, ideo à vulgari more loquendi discedere non debuit; neque verò ullis verbis clarius magisve propriè loqui potuit aut significare id esse suum corpus, quam simpliciter dicendo, ut dixit: *Hoc est corpus meum.* Neque enim addere debuit: *Hoc est propriè.* Nam non est talis consuetudo loquendi, ne tum quidem, cùm maximè adnitimus propriè loqui.

XV. Neque nos cogit ulla necessitas, ut à sensu quem perspicua verba & communis modus intelligendi suppeditat, discedamus. Illud enim, *ne propriam loquitionem quasi figuratam velimus accipere, quod in sermone di-*
3 de doct. Ch. c. 10. *vino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest,* figuratum esse docet Augustinus. Jam verò nullum absurdum aut inconveniens, ut postea demonstrabitur, hic sensus gignit. Non impingit in quem articulum fidei. Non in alium aliquem locum scripturæ. Non ullo modo contortam aut aliunde petitam explicationem innuunt scriptores ipsi. Sunt certè quatuor, qui diversis temporibus alius post alium sacramenti hujus institutionem enarrarunt, & qui hoc in more positum habent, ut explicet alter quod ab altero vel neglectum vel obscurius perscriptum fuerat. Hic igitur in re tantâ quia nihil hujus factum videmus, censemus quoque nihil hujus subesse.

XVI. Alias scriptura & Christus, ijs quæ scrupu-
lum

ET SANGUINIS CHRISTI IN S. COENA. 247

lum movent, explicationem subjungit, si non publice, certe privatim ad discipulos, quos minime volebat in doctrinā errare. Ita fermentum explicatur Matth. xvi, Luc. xii. Templum quod destructuri erant Judæi Joan. xi. Mors Joannis & Petri Joan. ult. Res igitur tanti momenti toties præteriri non potuit.

XVII. Et certè verba ipsa torqueri & fictis tropis involvi nolunt, ut singula tentata fuerint ab adversarijs. Insigne verò temeritatis, inconstantiae & hæreseos argumentum est discordia inter principes fœtræ super genuino sensu & capite controversiæ. Nempe adeò vera est sententia Augustini: *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliud adseruerit scriptura, figuratum arbitrantur.* de doct. Ch. 1. 3, e. 10.

XIX. Carolstadius exponit: *Hoc est, id est, hic est*, sive sedet corpus meum. *Qui sensus & ridiculus est & cum superioribus male cohæret.* Casp. Schyvenckfeldius *ad Hoc spiritualem indicationem exponit, & cum sensu verborum ordinem invertit, quasi dixisset Christus: Accipite, edite corpus meum, hoc est spiritualis cibus.* Bucerus *ad Hoc hanc actionem nimirum ipsam cœnæ administrationem significare dicit.*

XIX. Zwinglius omisso vocabulo *Hoc, id Est* arripit ut in eo tropum statuat & exponat pro *significat*; *verum imperit.* *Totidem enim simplicissimæ significacionis nihil nisi ipsum esse dicit in omni propositione ad combinationem extremorum necessarium.* Quare ad aliam significationem trahi, aut tropum sustinere non potest. Neque ullus Rhetorum in eo unquam tropum finxit.

XX. *Calvinus ut reliquis omnibus acutiores ostendat,*

248 DE PRÆSENTIA CORPORA
ostendat, & absurditates, in quas illi impegerant evitet,
Instit. I. 4. c. 17. §. 22. ita nobis suam sententiam proponit: *Restat ut propter ad-*
finitatem, quam habent cum suis symbolis res signatae, nomen
ipsum rei fateamur adtributum fuisse symbolo: figuratè id qui-
dem, sed non sine aptissimā analogiā. Dico Metonymicum esse
I Cor. 10. 4. *hunc sermonem, qui usitatus est passim in scripturā, ubi de myste-*
rijs agitur. Item: Ut lapidem, è quo Israëlitis spiritualis po-
tus scaturiebat, Christum fuisse Apostolus docet, quod visible
symbolum foret, sub quo spiritualis ille potus verè quidem, sed
non ad oculum percipiebatur: ita corpus Christi panis hodie
nuncupatur, quando symbolum est, quo veram corporis sui man-
dunctionem offert nobis Dominus. Vult itaque Calvinus
prædicatum sustinere Metonymiam signati pro signo, ut
vox corporis posita sit pro figurā, signo & symbolo cor-
poris, sensusque sit, Panem esse figuram corporis, quo-
niam sic virtute corporis Christi nutriamur & reficiamur,
sicut alijs pane sustentamur.

XXI. Didicithac ex Oecolampadio; neque ve-
rò reapse à Zwinglio dissentit. Idem enim est: *Hoc si-*
gnificare corpus; atque est: Hoc esse figuram corporis. Com-
modiū tamen aliquantò loquitur Calvinus, & minus in
Rheticam troporumque explicandorum rationem
peccat. Sed Beza videtur malle sequi Zwinglium. nam
quæst. & resp. de Sacr. ccx docet neque in subjeēto neque in
adtributo: sed in copula sive adtributionis genere tropum sta-
tui debere. Item: Dico, inquit, in ipso adtributionis ge-
nere tropum esse, id est, verum quidem & propriè acceptum cor-
pus de vero quoque & propriè accepto pane dici, sed figurate,
non propriè. Quod quid fibi velit, fateor me non intelli-
gere; aut certè quantum intelligo, involvit contradicti-
onem in adjecto, loquutionem esse figuratam, tropum
que

que in ipso adtributionis genere, neque tamen in subjecto aut prædicato reperiri; & verum corpus de vero pane figuratè dici. Num verus homo figuratè poterit esse verus leo? Si figuratè est leo, certè non est verus leo. Verùm ille sui oblitus mox quæst. seq. corpus interpretatur Sacramentum, signum sive figuram corporis. Quoniam itaque figura corporis dicitur de pane, num de eo verum & propriè acceptum corpus dicitur?

XXII. Sed nos ad Calvinum revertamur, qui ut ostendimus, sine ambagibus corpus Metonymicè figuram corporis exponit, nomenque rei signatae signo transcribi docet. Hæc sunt ejus verba: *Signa sunt panis & vi-*
num, quæ invisiile alimentum, quod percipimus ex carne &
sanguine Christi, nobis representant. Item. *Quum panis nobis*
in symbolo corporis Christi datur, hæc statim concipienda est
similitudo; Ut corporis nostri vitam panis alit, sustinet, tuetur:
ita corpus Christi vegetandæ ac vivificandæ animæ unicum
esse cibum. *Quum vinum in symbolum sanguinis propositum*
intuemur, cogitandum quos corpori usus vinum adferat, ut
eodem spiritualiter adferri nobis Christi sanguine reputemus:
sunt autem sovvere, reficere, confirmare, exhilarare. Omitto,
quod h̄c pluribus urgere possem, rationem hujusmodi
figuratè loquendi, quam singit Calvinus, plane repugnare
rationi & modis figuratè loquendi. Id enim in quo
proprietas illa quam exprimere laboramus, magis per-
spicua est, de eo in quo minus ipsa perspicua est, adfirmari
& prædicari solet, non contrà. Sic virum fortem dici-
*mus esse leonem; vafrum sive astutum dicimus esse vul-
 pem, quoniam in leone fortitudo & in vulpe astutia est
 notissima. Si itaque Christus dicere voluisset, quod vo-
 luisse docet Calvinus, utique dixisset: *Corpus meum est**

CALVINI
SENTEN-
TIA.

Inst. I. 4, c. 17

§. 1.

§. 3.

250 DE PRÆSENTIA CORPORIS

panis, nam in pane vis alendi & reficiendi est notissima.
 Joh. 15,1. Sicut alio loco dixit: *Ego sum vitis vera*, nam in vite vis
 vegetandi palmites conspicua est: imò cùm id ipsum si-
 gnificare vellet, sic loquutus est: *Ego sum panis vite*. Et:
 6,35. *Caro mea verè est eibus, & sanguis meus verè est potus*. Hic
 35. quoniam contrario modo loquitur, certum est, non in-
 tendisse hujusmodi quid significare, sed potius id, quod
 diçtat simplex verborum conceptus, quem suprà expli-
 cavimus. Omitto etiam, quòd ratio Novi Testamenti
 exigat, ut ejus sacramentum sine figuris & involucris
 proponatur. Si per figuras aut significationes Christus
 agere voluisse, non fuisset opus novo sacramento, sed
 fuisse & forte rectius totum id præstitisset Agnus Pa-
 schalis. Neque verò juvat Calvinum in defendendâ
 suâ figurâ, quòd nos in verbis Christi familiarem synec-
 dochen admiserimus: hæc enim usitata & facilis adeò est,
 ut figura esse vix animadvertisatur aut haberi digna sit.
 Calvini contrà cùm figura tum explicatio figuræ con-
 torta & violenta adeò est, ut vix voce exprimi aut men-
 te possit intelligi, quod in sequentibus facile demonstra-
 bimus.

ibidem. XXIII. Nam quia nimis exiguum tanto sacra-
 mento tribuisse videretur, si ei præter significationes &
 figurenationes istas nihil tribueret, ideo sermonem altius
 adtollit, & dicere audet: *Hoc verbum nec mentiri, nec illu-
 ludere nobis potest, Accipite, edite, bibite: hoc est corpus meum,*
 §.3. *quod pro vobis traditur: hic est sanguis, qui in remissionem pec-
 catorum effunditur. Quod accipere jubet, significat nostrum
 esse: quod edere jubet, significat unam nobiscum substantiam
 fieri*. Et: *Accepto corporis symbolo, non minus corpus etiam*
 §.10. *ipsum nobis dari certò confidamus*. Et: *Dico, in Cœnæ myste-*
 §.11. *rio*

rio per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi, adeoque corpus & sanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparandâ nobis justitiâ adimplevit: quo scilicet primum in unum corpus cum ipso coalesceamus: deinde participes substantiae ejus facti, in honorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus. In cap. xxvi Matthæi: Verè in cœnâ datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est, substantiam corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur cum eo. Hæc verò si verè & ex animo diceret & doceret Calvinus, nihil reliquum foret, de quo item ei moveremus. Nam quantum verba sonant, substantiam corporis Christi in cœnâ adesse ita disertè adserit, ut disertiùs nemo nostrum velit, neque possit.

XXIV. Sed aut ijs verbis Deo & hominibus illudit, aut suam ipsius sententiam funditus evertit. Suâ evidentiâ consideranti hoc per se manifestum est: nam si verum corpus & sanguinem Christi sumimus, si animus noster cum Christo secundum substantiam verè unitur, non tantum hoc fiet secundum gratiam, virtutem aut effectum quendam, hic enim nec est nec dici potest verum corpus aut substantia, neque unio inde resultans substancialis, aut alia quam figurata, impropria & metaphorica. Sic fideles cùm dicuntur esse uniti cum Christo, tamquam membra cum capite, metaphorica est loquutio: nulla enim substantiarum conjunctio significatur, sed tantum quædam similitudo, quæ est inter habitudinem Christi ad fideles, & habitudinem capitatis ad reliqua membra. Ita quoque si tantum animus noster secundum effectum quendam, qui à corpore Christi in eum promanat, cum corpore Christi unitus esse dicitur, non nisi

252 DE PRÆSENTIA CORPORIS

impropriè & metaphoricè unitus dicitur, nempe ob aliquam similitudinem, quæ ratione istius effectus sit inter habitudinem corporis Christi ad animum nostrum, & habitudinem duarum aliarum rerum verè & propriè unitarum. Quamobrem si sincero non ficto animo Calvinus veram substancialiè corporis ac sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris cœnæ symbolis fidelibus exhibetur, recipit, non potest non aliud conjunctionis modum præter hunc, quem modo enarravimus, & quidem ipsum eum, qui à nobis adstruitur, recipere.

S. 19.

XXV. Omnis enim aliud modus realis coniunctionis duarum substancialium aut est secundum substancialiè unitatem personæ vel naturæ, quæ ex utrâque resultet; aut secundum indistantiam localem utriusque substancialiæ. Prior quia locum hic non habet, habebit certè posterior, nimirum ut uniamur cum corpore Christi secundum indistantiam localem. Non autem raptur substantia animi nostri in cœlum, ut ibi cum corpore Christi localiter conjugatur. Restatigitur hic in terris per symbola sacræ cœnæ substancialiè corporis Christi nobis exhiberi; hic nos substancialiè corporis Christi pasci, non quidem ad naturale corporum nutrimentum, sed ad spirituale animarum alimentum, atque ita cum eâ secundum indistantiam localem unam substancialiè fieri. Hæc ex ijs quæ pleno ore Calvinus professus est, rectè sequi & deduci constat.

XXVI. Nihil tamén minus ille admittit, quam hoc ipsum. Sic enim Calvinus, quiq[ue] eum sequuntur, Conf. cum Tigur. c. 27. c. 25. tollenda est quælibet localis præsentia imaginatio. Item: Ne qua ambiguitas restet, quum in cœlo querendum Christum dicimus, hæc loquutio locorum distantiam sonat

ET SANGUINIS CHRISTI IN S. COENA, 253

sonat & exprimit. Tametsi enim philosophicè loquendo super cœlos locus non est: quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cœlo, ut loco, continetur: neesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terrâ. Dicas itaque; non relinquitur ergò alia nostri cum corpore Christi conjunctio, quam figurata illa superius explicata, quæ secundum effectum. Dico ego quoque, & addo, me demonstrasse quod volebam, Calvinum ita doctrinam suam proponere, ut Deum & homines ludos faciat; aut certe sese suo gladio jugulet.

XXVII. Quamquam contradictiones in hac matterie non sunt insolentes Calvino, quod etiam ex hisce poterit intelligi. Nec illi, inquit, mihi satisfaciunt, qui nonnullam Inst. I. 4. c. 17
§. 7.
nobis esse cum Christo communionem agnoscētes, eam dum iſtendere volunt, nos Spiritus modo participes faciunt, præteritā carnis & sanguinis mentione. Quasi verò illa omnia de nihilo dicta forent, carnem ejus verè esse cibum, sanguinem ejus verè esse potum &c. Item: Tametsi fidem hæc omnia respiciunt, nullum tamen locum relinquo huic cavillo, quasi dum fide percipi Christum dico, intelligentiâ duntaxat & imaginatione velim concipi. Concilientur ista cum superioribus, & cum hisce: Christus quatenus homo, non alibi quam in cœlo, nec alter quam mente & fidei intelligentiâ querendus est. In eamdem sententiam Beza: Amplius aliquid in Cœna, quam in Consc. 21.
Dial. ad v.
Heshuf.
simplici verbo & Baptismo offerri, quod ad rem ipsam adtinet, id verò pernegamus. Et: Patres in V. Testamento non minus Colloq.
Momp.
participes fuerunt corporis & sanguinis Christi, quam nos sumus in cœna Dominicâ.

XXIX. Cognoscimus itaque in speciem tantum esse conficta, quæ magnifice de hoc sacramento

Calvi-

Ii 3

DE PRÆSENTIA CORPORIS

254
Calvinus & Calvinistæ prædicant, in quo quidem reipsa non nisi symbola & signa corporis & sanguinis adesse statuant, neque aliam conjunctionem nostri cum corpore Christi fieri doceant, quam figuratam illam respettu effectus qui à corpore Christi ad nos derivetur. Si verò aliam velint, involvent se contradictione, nec umquam quid velint mente concipere, aut communibus faltem vocabulorum notionibus exprimere poterunt: nimirum substantiam corporis & sanguinis Christi cum illo verè conjungi, & ab illo verè percipi, à quo tamen tanto locorum intervallo distet, quanto cœlum abest à terrâ. Quare qui ingenui sunt, simpliciter se de effectu loqui fatebuntur.

XXIX. Atqui hic ipse effectus & influxus gratiæ & virtutis vivificæ contingit ratione fidei, non ratione sacramenti; & nisi qui ad sacramentum accedit, credit, particeps hujus effectus haut fiet. *Utilitas*, ait Calvinus, *quam ex sacramentis percipimus, ad tempus, quo ea nobis administrantur, minimè restringi debet: perinde ac si visibile signum, dum in medium profertur, eodem secum momento Dei gratiam advehet. Nam qui in primâ infantia baptizati sunt, eos in pueritâ, vel incunente adolescentiâ, interdum etiam insenectute regenerat Deus. Et fieri interdum potest, ut sacræ Cœnæ usus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat; nempe quandocumque fide Christum & merita ejus adprehendimus. Propterea scribit corpus Christi nobis porrigit ut vescamur, quum fide nos facit ejus participes.*
Inst. I. 4. c. 17
 §. 5. *Ipse itaque cum suis manducare docet idem esse quod credere. Quamquam etiam hic, ut sapere videatur & subtilius disputare & rectius sentire quam cæteri, more suo*

suō ampullatur. — Sunt, inquit, qui manducare Christi carnem, & sanguinem ejus bibere, uno verbo definitiūt nihil aliud esse quam in Christum ipsum credere. Sed mihi expressus quidam & sublimius videtur voluisse docere Christus in præclarâ illâ concione, ubi carnis suæ manducaſionem nobis commendat: nempe verâ sui participatione nos vivificari. Interim verò hanc non aliam esse quam fidei manducaſionem fatemur: ut nulla alia fingi potest. Verum hoc inter mea & iſtorum verba interest, quod illis manducare est duntaxat credere: ego credendo manducari Christi carnem, quia fide noster efficitur, eamque manducaſionem fructum effectumque fidei esse dico. Aut si clarius velis, illis manducaſio est fides: mihi ex fide potius conſequi videtur. Sapientiam Calvini nodum in ſcirpo quarentis! Si allegoria usque adeo inhærere luberet, dicerem & fortè rectius, manducare esse credere; quod autem fidem conſequitur, nempe meritorum Christi imputationem, eorumque fruitionem, habere ſe ad modum nutritionis, quæ ipſa quoque manducaſionem conſequatur. Sed quidquid sit, manifestum est neque difſitetur Calvinus, totum id ad fidem pertinere: ſacra‐mento quatenus tali nihil omnino relinqui niſi conſignationem illam per externa symbola.

XXX. Quorūm igitur de magnitudine myſte‐rii, cuius ſublimitas animo comprehendi non poſſit, de‐clamat: Quamquam, inquit, cogitando animus plus valet, quam lingua exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoque vincitur & obruitur. Itaque nihil derum reſtat, niſi ut in e‐jus myſterij admirationem prorumpam, cui nec mens planè co‐gitando, nec lingua explicando par eſſe potest. Certè pa‐nem ſignum eſſe ſpiritualis cibi, quo animæ noſtræ ala‐tur, & memoriam in nobis mortis Christi renovare, id quidem

§. 7.

quidem mens cogitare & lingua explicare potest. Aut igitur sacra cœna tantum mysterium non est, quod tamen recte nobis & omnibus consentientibus confessus est Calvinus; aut erit aliud quid, cuius ratione tantum mysterium haberri mereatur.

XXXI. Dicet fortè hoc sacramento beneficia divina obsignari. *Magnum*, inquit, *fiduciæ ac suavitatis frumentorum hoc sacramento colligere possunt piaæ animæ, quod testimonium habent in unum corpus nos cum Christo coaluisse, ut quidquid iphus est, nostrum vocare liceat.* Sed cum solà fide Christi participes reddamur, quid ijs obsignabitur, quibus nihil communicatur; Iis, inquam, qui sine fide accedunt? imò quid ijs non tantùm dico obsignabitur verùm etiam significabitur, quijuxta Calvinum ab ute-ro certæ morti devoti numquam fide donantur, neque beneficiorum Christi participes fiunt? nempe cogitent illi miseri, sic gratiam Christi animam quidem nutrire posse, sicut à pane corpus alitur: sibi verò hīc neque offerri neque significari quidquam, multò minus obsignari. Ipsi autem fidelibus hoc sacramentum non erit nisi testimonium de mandatione, cuius jam antè per fidem participes facti sunt, sicut suprà ex Calvinio ostendimus: unde sequitur eos priusquam manducent, manducasse; & ijs porrigerere corpus Domini ad manducandum, esse idem quod testificari eos jam antè corpus Domini sumississe & manducasse. Sed hæc alias enodet; ego tantùm hīc moneo, huic etiam ipsi quòd sacra cœna sit testimonium de divinâ in nos benivolentiâ & fruitione Christi, mentem cogitando & linguam explicando parem esse posse.

XXXII. Hæc ita contra Calvinum ex ijs quæ ipse

ipse agnoscit disputare libuit. Nunc pressius istam expositionem urgebo. Nullibi corpus Christi in S. scripturis sine addita explicatione (qualem videre est i Cor. xii, 27. Ephes. i, 23. v, 32. Colos. i, 24.) nisi pro vero & naturali corpore accipitur. Hinc argumentor in hunc modum: Significatio illa, quā corpus symbolum & figuram corporis sive beneficia corporis denotare dicitur, aut continetur in scripturā, aut non continetur. Si continetur, monstrant illi, si viri sunt. Si non continetur, aut Scripturam insufficientem eos dicere oportet; aut non nisi cerebri Calvinistici partum esse, quod ipsis sacrosanctum est, & summi plenā jam margine libri scribitur, & in tergo, nec dum finitur.

XXXIII. Deinde manifestò repugnat determinatio, quæ subnēctitur: *corpus quod pro vobis traditur; sanguis qui effunditur.* Nam quando loquutio est figura, non solet adjungi nisi quod proprietatem illam, secundum quam figuræ vis attenditur, explicat; ut si dicam: *Herodes est vulpes, quæ est animal vaserrimum & ex insidijs prædam captat.* Quando autem, ut hīc, additio non similitudinem illam sed absolute ipsius rei adfirmata veritatem respicit, tunc secundum communem modum loquendi & intelligendi præcedentis adffirmationis proprietatem & veritatem indicare censetur.

XXXIV. Porro hujusmodi interpretationem non admittunt verba hæc de calice: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Nam novum testamentum non in figurā sanguinis, sed in vero sanguine constitutum est. Quod si per figuram hæc verba evertantur, quidn̄ etiam illa: *Habemus redēptionem per sanguinem ejus?* Eph. i, 7.

Kk

XXXV. At-

XXXV. Atque si aliquod ob latam illam rationem Christi corpus dici mereatur, quia sit figura corporis Christi, vel memoriam in nobis renovans, vel beneficia & meritum adplicans, Christi corpus dici quoque poterit imago crucifixi, poterit baptismus.

XXXVI. Paulus i Cor. x, 16 dicit poculum benedictionis esse *κοινωνία* sanguinis Christi, & panem corporis Christi. *Κοινωνία* hīc significat veram participationem: quia dehortatur Apostolus ab esu & usu Idolothitorum, qui vera erat eorum participatio, cui istam opponit. Et infra ver. 21 utitur verbo *μετέχειν*, quod significantissimè idem est quod participare.

XXXVII. Sed & manifestò falsum diceret Paulus. Si enim corpus Christi nihil est nisi beneficia Christi, quibus per fidem participamus: non jam panis esset *κοινωνία* corporis Christi, sed fides.

XXXVIII. Sequenti capite versus 27 hæc verba sunt. *Quisquis manducārit panem hunc vel biberit calicem Domini indignus: reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et versu interposito: *Qui manducat & bibit indignè; judicium sibi manducat & bibit μὴ ἀγείρω τὸ οὐρανὸν ἡμέρας.* Quod si juxta Calvinum corpus nihil est nisi corporis signum, licet eò usque efficax ut cum eo beneficia & merita Christi offerantur; & hoc corpus manducare nihil est nisi ea per fidem percipere & sibi adplicare: quomodo quæso qui manducat aut reus sit corporis & sanguinis Domini, quem nuda signa participet; aut quomodo indignè manducet, quem manducare sit credere; aut quomodo corpus Domini quod minimè percepit ab alijs cibis non discernat?

XXXIX. Verba igitur institutionis absque tali figurâ

figurā accipimus & interpretamur, quemadmodum tot locis uniformiter repetita sonant & exponuntur ab universā Ecclesiā, quae per totam aetatem à suis usque incunabulis ad exortum Calvinum errare non potuit; item ab orthodoxis & receptis Patribus unanimi consensu & tenore, facillimè per continuam aetatum seriem deducendo & demonstrando, cui medium unguem ostendere barbarum est.

XL. Non autem caussari quis poterit necessariò figuratē accipi, quoniam fieri nequeat, ut verum & naturale corpus sit alicubi, neque occupet locum, aut ut unum corpus in diversis locis constituatur; aut in uno plura.

XLI. Nam Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem. Hujusmodi enim ponit mendacium, quippe esse & non esse simul, unde existeret aliquid, cuius esse foret non esse; quod est defectus, & nullo modo simile auctori Deo.

XLII. At corpus non occupare locum, haut implicat contradictionem. Nam illud non est de essentiā corporis, quia non ponitur in definitione ejus. Deinde prius quid est ipsa magnitudo, quodque ei essentiale est, nimirum extendi in se, habere partem extra partem, & proinde situm quedam & dispositionem earum intrinsecam, atque naturaliter aptum esse locum replere, loco commensurari & ex loco aliud corpus expellere; posteriorius quid habere situm extrinsecum in ordine ad locum, & actu coextensive commensurari loco, ipsum replete, & per hoc aliud expellere, tanquam functio & officium quoddam essentiae ab ipsa omnino distinctum. Posteriorius à corpore removetur divinâ potentia; non

Kk 2

prius;

prius; nam manet naturalis illa aptitudo ad circumscriptionem in loco.

XLIII. Præterea in promtu sunt exempla similia. Christus per uterum virginis matris, illæso eo, prodijt; & per sepulcrum clausum & per fores clausas, & adscendit supra cœlos, qui naturâ suâ incorruptibiles sunt, & solidissimi, quasi ære fusi, Job. xxxvii, 18.

XLIV. Horum autem nihil fieri posuit, nisi quia vel corpus non replevit locum, quo etiam modo Christus apud Deum possibile esse dicit, ut camelus transeat per foramen acus, Matth. xix, 24; Marc. x, 26; Luc. xix, 25: vel quia unum non expulit aliud, ita ut in uno loco duo essent corpora.

XLV. Exempla quoque sunt de eo, quod virtute divinâ in pluribus locis unum corpus esse possit. Christus adscendit cœlos; *eum enim oportuit cœlos suscipere usque ad tempus restitutionis omnium*, Act. i, 11, 21. Nihilominus Paulo adparuit Act. ix, 5. & hoc ipse testatur Act. xxii, 8. Et ad idem respicit, cum ait, Christum post resurrectionem suam visum Cephæ, & post duodecim, & quingentis fratribus, inde Jacobo, inde Apostolis omnibus, additque: *Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est ē mihi*, nempe corporeis oculis, sicut Cephæ & reliquis. Vedit Justum, teste Ananiâ, & audivit vocem ex ore ejus. Fuit igitur is simul in cœlis & in aëre terræ vicino. Nam nihil impedit, quod minus omnipotentiâ divinâ multiplicetur accidens præsentia, non multiplicato ipso corpore, subiecto istius accidentis se posterioris, & à se diversi, ita ut per eamdem potentiam omnino sine ipso conservari possit.

XLVI. Quod si dixerint, unum corpus in pluribus

bus locis esse non posse, non quia corpus sit, sed quia unum quiddam est; respondendum est, Deum opt. max. multò magis unum quiddam esse; & tamen in diversissimis locis esse: & si alium mundum crearet, qui hunc nullā ex parte contingeret, nihilo minus fore in utroque. Urgebunt fortè, corpus esse unum quid finitum & creatum. Verùm substantia rerum finitarum non loco primariò, sed suo genere & differentiā finitur, nempe ut suam tantum perfectionem, non aliarum omnium rerum naturā suā complectatur. Ex quo fit, ut corpus maneat finitum, et si totum ponatur in pluribus locis.

XLVII. Demum qui hoc concedere nolunt, quia modum quo supra captum humanum & naturæ cursum fiat, non capiunt, quomodo concedent & credent alia mysteria, item miracula æquè difficilia cognitu? In Trinitate est una essentia, sunt tres personæ verè & realiter distinctæ, cum quibus singulis essentia identificatur, ipsa nihilominus indivulsâ & indistractâ. In Incarnatione in unam hypostasin uniuntur duæ naturæ perfectæ, neque hypostasi divisâ, neque naturis confusis. In Creatione ex non-ente negativo productum est verum & positivum ens. Atque hoc ipsum annihilari potest potentiam divinam & supernaturali. In Resurrectione idem corpus numero resurget, atque ita unum individuum bis fiet, & unum tamen manebit. In inferno corpora damnatorum vero igne urentur & dolore adficiantur, non tamen dissolventur.

XLIIX. Porrò sicut corporis quanti est replere locum, ita calidi est calefacere, gravis ponderare, colorati in medio diaphano ab apertis oculis videri. Nihilominus in fornace Babylonica non adurit ignis; Dan. 111.

Super mare ambulantes Christus & Petrus non mergebantur; Matth. xiv. Imò aqua Jordanis transeunte populo Israëlitico non modò non descendebant, verum etiam adscendebant; Josue iii. Christus per medium turbam inconspectus transiit; Luc. iv. Joan. iix.

XLIX. Hactenus contra Calvinianos demonstravimus, realem corporis sanguinisque Christi exhibitionem in cœnâ Deum præstare & posse & velle. Illud quidem ex omnipotentiâ divinâ, istud ex voluntate.

L. Voluntatem habemus expressam in verbis institutionis, simpliciter, ut ostendimus, accipiendis. *Accipite, edite; hoc est corpus meum.*

LI. Quando videlicet panis benedictus accipitur & editur, simûl accipitur & editur corpus Christi ex vi factæ promissionis & institutionis.

LII. Neque ulterius modum anxiè inquirimus, neque scire aut determinare cupimus, quem tamen sciimus Deo cognitissimum & facillimum, utut supra ingenium & naturam. Verbis fidem habemus, cætera securi, quomodo qui promisit, quod promisit, præstet.

Inst. 1.4, c. 17
§. 19. LIII. Quamquam suprà docuimus non implicare contradictionem, neque quidquam absurdum, si adsit ibi corpus per virtutem divinam, non occupando aut replendo locum. Faciat itaque Calvinus, quod se fakturum pollicetur, cùm ait: *Absurditatibus sublati, quidquid ad exprimendam veram SUBSTANTIALEMQUE corporis ac sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris cœnæ symbolis exhibetur, facere potest, libenter recipio.*

LIV. Quando igitur Christus panem porrigit & dicit, *Hoc est corpus meum*, unâ cum pane tanquam instrumento offerente, porrigit corpus suum manducandum,

dum, atque ita & panem & corpus, illum quidem sensibili-
liter, illud insensibilitate. Explicat id ipsum Paulus, cum
dicit: *Panis est communicatio corporis Christi; h. e. Panis est*
ceu vehiculum & instrumentum, per quod nobis corpus
Christi communicatur.

LV. Panis igitur manet panis, talis autem fit pa-
nis, quiccum nobis corpus Christi offertur.

LVI. Et bene notandum est hanc loquutionem,
& quod nullibi reperiatur hujusmodi: *Panis est corpus*
Christi: sed mutato subjecto mutatur etiam prædicatum,
ut sine scripturâ & ratione loquantur Calviniani & Pon-
tificij, qui altero dicendi modo libentius utuntur. Ne-
que enim substantiae naturis & suppositis distincte de se
invicem propter unionem aliquam accidentalem verè
prædicari possunt: neque panis retinens suam essentiam,
poterit esse corpus Christi; panis scilicet esset & non es-
set: neque amittit suam essentiam, ut transeat in essen-
tiā corporis.

LVII. Nam Paulus panem benedictum & in ipso
usu constitutum significanter & aliquoties panem adpe-
llat i Cor. x & xi. Deinde inepta foret loquutio, si panis
non panem, sed corpus supponeret, ista: *Panis quem*
frangimus, communicatio corporis Christi est.

LIX. Pontificia itaque transsubstantiatio, quâ sub-
stantiam panis in substantiam corporis converti fingunt,
manentibus nihilominus omnibus accidentibus panis,
non tantum excogitata est præter scripturam, sed &
contra eam.

LIX. Imò contra rationem quoque.

LX. Panis si convertitur in corpus, omnino
istud corpus fiet ex hoc pane. Ita in conversione naturali,

si aqua

TRANS-
SUBSTAN-
TIATIO.

264 DE TRANSUBSTANTIATIONE.

si aqua in aërem convertitur, aër ille fit ex aquâ; in supernaturali ex uxore Loth facta est statua salis, ex aquâ vinum: quamquam h̄c nullâ præcedente dispositione; ibi materiâ per præviam privationem ad susceptionem novæ formæ præparatâ.

LXI. At corpus, quod suminus, Christi corpus est, natum ex virgine & pro nobis traditum. Corpus itaque quod sumimus ex pane factum non est. Panisigitur in id conversus non est.

LXII. Porrò corpus illud, in quod panis convertitur, aut fuit ante conversionem, aut non fuit. Si fuit, idem est seipso prius & posterius, atque ita idem, non erit idem, sed aliud à seipso. Si non fuit, Christi corpus non est.

de Euchar.
13, cap. 18.
LXIII. Bellarminus videtur occurrere distinguendo conversionem in Productivam & Adductivam. De Productivâ procedere dicet argumentum nostrum. In hoc sacramento Adductivam esse, per quam terminus ad quem existens quidem ante conversionem; sed non in eo loco, ubi est terminus à quo, adducatur ad eum locum.

LXIV. Verùm non potest intelligi, quomodo fiat conversio; & quidem substancialis, si terminus ad quem substancialiter existat ante omnem motum atque actionem, & tan tūm succedat in locum termini à quo. Hęc mutatio non erit transubstantatio, sed accidentalis transflocatio vel latio ad aliud ubi, ex quo quod prius ibi erat vel expelletur, vel annihilabitur. Sicut si Christus vinum ex aquâ non produxisset, nemo sanus diceret, aquam in vinum substancialiter conversam fuisse, sed potius accidentariam mutationem locorum intercessisse,

& vi-

DE TRANSSUBSTANTIATIONE. 265

& vinum huc, aquam autem aliò concessisse; aut plane interisſe. Idem omnino judicium est de pane, si ex eo non producitur corpus.

LXV. Præterea panis si vertitur, vertitur aut in corpus Christi; aut in aliud quid. Non in corpus, quoniam hoc, ut fatetur, non subjetat mutationi substantiali, imò nec accretionem aliquam recipit. Uterque autem terminus in verà conversione actioni subest. Et quoniam, ut volunt, in hac conversione corpus adducitur, panis convertitur, duo sunt subjecta & duæ actiones. Non igitur conversio. Hæc enim est una actio, cui subest unum subjectum sustinens privationem unius formæ & introductionem alterius sive terminum à quo & ad quem. Neque verò panis in aliud quid mutatus est. Annihilatus igitur est, aut aliò translatus. Quare panis annihilationem, quam tantopere declinare nititur Bellarminus; aut certe, si hanc nolit, translocationem admittere cogitur. Imò adductiva conversio nihil aliud est, quam adductio unius, & alterius vel annihilatio vel translocatio.

LXVI. Animadvertisit ipse, se distinctione suâ & conversione istâ adductivâ germanam conversionem sive transsubstantiationem evertisse, quum ea quidvis potius esse possit, quam hoc. Quamobrem in Recognitione suorum operum ante triennium editâ sententiam A.C. 1608.

hanc vel confirmare vel excusare conatur, sed frustra. Adscribam verba ipsius ad locum supra citatum: *Dixi* pag. 81.
conversionem panis in corpus Christi, non esse productivam,
sed adductivam. Quod dictum video à nonnullis perperam
esse acceptum, qui inde colligunt hanc non esse verè conversio-
nem sive transsubstantiationem, sed translocationem. At pa-

Ll

ce ipso-

ce ipsorum aperè falluntur. Sicut enim converfo & transsubstantatio ad panem pertinent, non ad corpus Christi: (sed ad utrumque pertinent, si vera foret conversio; & quæstio est, an sit conversio ubi actio non respicit substantiale esse utriusque termini.) sic etiam translocatio, si cui conveniret pani conveniret, non corpori Christi. At pani nullo modo convenit, cum non mutet locum, sed transeat in corpus Christi. Sed neque corpus Christi per conversionem adductivam translocari dicipotest. Itaque adductivam conversionem appellavimus, ut significaremus corpus Christi per consecrationem Eucharistie non produci de novo, sed præexistere, & per conversionem pani in ipsum incipere esse sub speciebus panis:

LXVII. Hactenus verba Bellarmini, quibus non obscure in nostram etiam sententiam transire videtur. Nihil enim aliud dicit quam corpus & sanguinem Christi in sacramento cœnæ incipere esse sub pane & vino, aut sub speciebus panis & vini, ubi prius non erant. Si quid præterea vult, vel annihilationem vel translocationem cogitur concedere. At neutrâ hîc opus; & ille neutrâ admittit.

LXIX. Quoniam itaque nulla hîc conversio substancialis est, neque esse potest, ut ostendimus; nulla quoque annihilation aut translocatio, ut fatetur ipse: sequetur corpus & sanguinem hîc esse, sub verâ substanciali panis & vini, nec conversi, nec annihilati, nec translocati.

LXIX. Porrò quod dieunt & dicere coguntur, accidentia panis remanere sine substanciali & sine subiecto, cui inhærent, ἀσύντατος est, neque id vel divinâ virtute fieret. Implicat enim contradictionem, accidens esse & non inesse. Quippe inesse est de essentiâ accidentis, quod ponitur in ejus definitione, & per quod solùm ab alterâ entis

DE TRANSSUENTIATIONE. 267

entis specie substantia distinguitur, & juxta cuius alios atque alios modos ipsum vicissim accidens in suas species tribuitur.

LXX. Deinde negare non possunt, panem & vinum post benedictionem alia interdum atque alia accidentia suscipere, ut acorem, mucorem, venenosas qualitates; nam si fides habenda historijs, Henricus VII Imp. & Victor III Papa per venenatam hostiam periisse: Item comburi posse, exsiccari, putrescere, arrodi a muribus.

LXXI. Haec mutationes profecto requirunt subjectum. Et licet verum sit, quasdam qualitates inherere quantitati, verum tamen non est, ei sicut subjecto inherere, sed ea mediante suo vero subjecto substantia inherenter, ut colores parieti mediante superficie. Et hoc licet ipsum verum sit de coloribus, de alijs tamen accidentibus verum non est. Neque enim quantitas susceptibilis est acoris, mucoris, combustionis, exsiccationis, neque talis denominari potest. Hujusmodi igitur accidentia quantitatem pro subjecto vel equivoco & mediante habere non possunt. Requirunt itaque verum & proprium.

LXXII. Hoc autem corpus & sanguis Christi sine blasphemiam statui non potest. Panis itaque erit & vinum. Panis igitur & vinum post benedictionem manent, non convertuntur aut intereunt.

LXXIII. Occurrunt quidem dicendo, in hujusmodi mutationibus, ut instantे combustionē, putrefactiōne, subtrahit corpus & sanguinem, substitui panem & vi-nūm. Sed unde hoc probant? aut ubi verbum & promissio, tale quid fore? aut quomodo haec conversio fiat sine consecratione, quum prior fieri non potuerit? neque enim in illā minus miraculum, quam in istā. Si

enim panis non perijt, sed verè in corpus fuit conversus, congruum erit, ut hoc corpus in panem, qui antè fuit, iterum transformetur: si perijt, aut de novo panem creari oportet, aut aliunde surreptum supponi.

de Euch. lib. 3, cap. 28.

LXXIV. Præterea dispositiones præcedunt introductionem formæ. Ita priusquam hostia putrefiat, priusquam calix acefcat, præcedunt dispositiones ad putrefactionem & ad acorem. Ex inchoantur, ut vult Bellarminus, manente Christi corpore. E. pro subjecto habebunt corpus Christi; aut si hoc non potest, aderit aliud subjectum, nimirum panis. Dispositiones enim tam requirunt subjectum, quam ipsæ formæ, de quibus tamen non negat Bellarminus. Est enim dispositio ad putrefactionem, imperfecta quædam putrefactio.

LXXV. Et quod ait de substituta in instanti materia, in quam introducatur forma, mirum est quomodo forma inducatur in indispositam materiam. Neque enim ipsa nondum existens disponebatur. Aut igitur hic nova inchoabitur dispositio, quod falsum est; aut, quod verum est, forma introducetur in id quod jam dispositum erat, quodque ut formæ introductæ ita etiam præcedentium dispositionum germanum subjectum fuisse necesse est, h. e. panem.

LXXVI. Magis adhuc mirum est, quomodo ad dispositionem qualitatum, quæ formæ quædam sunt, sequatur introductio materiae. Quis unquam fando hoc audivit? Nam contrà ad dispositionem subjecti sequitur introductio formæ; nequaquam dispositis formis supponitur subjectum.

LXXVII. Denique hoc mirissimum est, qui fiat, quod Christus, qui sub panis & vini speciebus sive accidentibus

DE TRANSSUBSTANTIATIONE. 269

dentibus (ponatur ea sine subjecto subsistere & allorum subjectum esse) præsentissimus adest, suas istas species, sub quibus adest, ab alteratione vel corruptione non defendat. Aut non poterit; aut non volet; aut falsum erit, quod Pontificij dicunt.

LXXIX. Prius nemo pius adseret.

LXXXI. Sed nec alterum. Volet enim, quia dixit: *Hoc est corpus meum*; horum autem verborum vi juxta adversarios panis mutatur in corpus, ita ut non minus extra usum ibi sit corpus, quam in usu; atque inde Eucharistia sit res permanens. Vult itaque in ea suum corpus conservare, etiam extra usum; aut si non vult, nec Eucharistiam Sacramentum permanens & extra usum esse vult. Ac si nolit, faciet contra dignitatem sui & sacramenti, quod scilicet ab agentibus naturalibus hoc evacuetur, ipse expulsus cogatur discedere.

XXC. Tertium itaque, quod scriptura clamat & ratio confirmat, verum erit, nimis panem benedictum essentiam suam non exuere, & extra usum nihil esse nisi panem.

XXCI. Atque ex his conspicuum est quæ monstrata preter implicationem contradictionis pariat Transsubstantiationem. Quæ quidem una est ex præcipuis regni Pontificij columnis. Primo autem Ecclesiæ millenario prorsus ignorata; postmodum ab oiosis & curiosis ingenjis excogitata; questionibus, tamen ut probabilis, agitata; dein A. C. c. 15 cc. xv ab Innocentio III in Lateranensi Concilio confirmata; à Constantiensi A. C. c. 13 cccc. xiv adprobata, à Tridentino A. C. c. 151, die xi Octob. sess. 111, cap. iv, & can. 11, inter articulos fidei relata & credenda sub anathemate denunciata.

Ll 3

XXCII. Et

270 DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

XXCH. Et si verum fateri velint Pontificij, non
 habent aliud hujus opinionis fundamentum, nisi istas suæ
 Ecclesiæ determinationes. Bellarminus quidem pugnat,
 non servari veritatem verborum Christi, nisi detur trans-
 substantiatio: verùm non potest ignorare hoc argumen-
 tum olim à Thomâ propositum fuisse, 111 Sum. quæst.
 LXXV, art. 11. Et v cont. gentes c. LXIII. Et IV, dist. XI,
 quæst. 1, atque tum ab ipsis ejus temporis Pontificijs do-
 CTORIBUS responsum esse. Negat Scotus verba illa trans-
 substantiationem evincere, aut eam ante Lateranense
 4. dist. II. q. 3. Concilium dogma fidei fuisse. Negat Durandus quid-
 quam istis verbis exprimi præter præsentiam & existenti-
 am corporis Christi in sacramento. Ad argumentum au-
 tem Thomæ respondet, ob id non necesse dicere, quod substan-
 tia panis non remaneat: quia ex quo ponitur corpus Christi rea-
 liter esse in hoc sacramento, eo ipso potest reddi vera loquutio,
 ut non solum dicatur, corpus Christi est hoc: sed dicatur, hoc,
 id est contentum sub hoc, est corpus meum: quia indefinita ve-
 rificatur prouno solo. Nec oportet, quod demonstraretur sub-
 stantia panis, dato, quod esset ibi: sicut non oportet, quod fiat
 demonstratio specierum ibidem existentium. Sic quoque
 4. dist. II. art. 2. Thomas de Argentinâ. Jam dictam, ait, conclusionem te-
 neo non propter aliquam rationem cogentem, sed propter san-
 ctorum auctoritatem, & sanctæ matris ecclesiæ determinatio-
 nem. Firmiter credimus ista decreta accepta de symbolo edi-
 to in Lateranensi concilio: in quo symbolo multæ fidei veritates
 magis lucide expressæ sunt, quam in symbolo Apostolorum &
 Nicenici conciliis, vel etiam Athanasii. Ad argumentum re-
 spondet: Si non olstante, quod remanet quantitas corporalis,
 quæ est corpus de prædicamento quantitatis, tamen servatur
 veritas Scripturæ, quæ dicit in persona Christi: Ho est corpus
 meum:

meum: sic nihil minus si ex ordinatione divinâ maneret substantia panis, quæ est corpus de prædicamento Substantiæ, eadem veritas salvaretur. Adscribam quoque verba Occam: *Dieo, quod in altari est vera transsubstantiatio corporis Christi: sed hoc potest multis modis ponи.* Uno modo ponendo, quod remaneat ibi substantia panis, & cum hoc, quod corpus Christi coëxistat substantiæ illi. Alio modo, quod recedat substantia panis subito de illo loco ad alium locum, & remaneant accidentia, & sic coëxistat corpus Christi. Tertio, quod redigatur in materiam vel per se stantem vel in aliam formam recipientem, & hoc sive in eodem sive in alio, & tunc illi materiae sive accidentibus coëxistat corpus Christi. Quarto, quod substantia panis redigatur in nihil. Primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi, neque alicui auctoritati Bibliae, & est rationabilior & facilior ad tenendum inter omnes modos, quia pauciora inconvenientia sequuntur ex eo, quam ex aliquo alio modo. Quod patet, quia inter omnia inconvenientia, quæ ponuntur sequi ex isto sacramento, majus est, quod accidens sit sine subjecto. Sed ponendo primum modum non oportet illud ponere. Igitur &c. Quia tamen determinatio Ecclesiæ in contrarium existit, sicut patet Decretal. de summâ Trinitate & fide cap. Firmiter. & de celeb. miss. cap. Cum Martha. & communiter omnes doctores tenent, quod ibi non remanet substantia panis, ideo etiam teneo, quod non remanet ibi substantia panis. Eadem ex Occamo repetit Cameracensis **I**v sent. quæst. vi, art. 11, E. F. Manifestum itaque dogma transsubstantiationis ex verbis Christi non evinci, tantis doctribus adtestantibus, & ad Lateranense decretum referentibus, adeoque rem novam esse liquidò fatentibus. Vide quoque Gabrielem lect. **XLI** in Canon. Missæ.

4. sent. q. 6.
art. 2.

272 DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

XXCIII. Postremò testimonium Gelasij, Pontificis Romani, contra Pontificios, qui hac auctoritate unicè obstringuntur, adduco. Ille lib. de duabus naturis, *Sacramenti*, inquit, *corporis & sanguinis Christi divina res est;* & tamen esse non definit *substantia*, vel *natura panis & vini*. Bellarminus negat hunc Gelasium esse eum qui Papa fuit.
a. de Euch. cap. 27.
 Toin 4. dt-
 sput. 6. q. 3.
 pun. 2.

At semper is habitus fuit; & ex eodem libro, tamquam Gelasij Pontificis, nonnulla decretis inferit Gratianus. Porro per substantiam, ait, intelligere eum *naturam accidentium*; Gregorius de Valentia *proprietates panis & vini* ab eo appellatas esse substantiam panis & vini. Dicant ergo taurum, & intelligent passerem, & mulum appellant, qui elephas sit.

XXCIV. Dirutâ Transsubstantiatione sponte sua corruunt quæ præter & contra institutionem magno numero & molimine superstruuntur.

XXCV. Nam quod fingitur Eucharistiam sacramentum permanens, atque etiam extra sumptionem corpus Christi esse, primum hoc fulcro destituitur

XXCVI. Deinde est contra rationem sacramenti in genere, quod consistit in actione adPLICANTE exterrnum signum.

XXCVII. Tertiò est contra rationem & institutionem hujus sacramenti, quod ut ex verbis manifestum est, in continua actione consistit; *benedixit, fregit, dedit, dixit: Accipite, edite, b.e.c.m. Hoc facite, scilicet quod jam factum vidistis.*

1 Cor. 10, 17, XXCIX. Quartò manifestè Paulus: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi.* Non igitur ille, quem non frangimus, sive quem non sumimus & comedimus.

XXCIX.

EUCHARI-
STIA PER
MANEN-
TIA.

XXCIX. Atque hinc porrò judicari poterit de
asserzione, circumgestatione & adhibitione ad alias
usus.

XC. De veneracione certum est, Christum ubi-
cunque locorum in spiritu & veritate adorandum; præ-
cipue in tanto mysterio corda sursum levanda, Deo gra-
tes agendæ, precesque fundendæ, ne ad judicium sedad
animæ salutem, sumamus.

ADORA-
TIO Ho-
STIE.

XCI. Hostiam autem proponendam ut adore-
tur, contra institutionem est. Et quoniā panis non
exuit suam substantiam, imo extra functionem nihil est
nisi panis, nequaquam est χριστολατεῖα sed mera ἀπολα-
τεῖα. Cavendum verò est, ne præter creatorem τῷ
τον κτίσαντα creaturas colamus. Rom. 1, 25.

XCII. Aliud sacrilegium commisit synodus Con-
stantiensis, quæ non obstante mandato Christi, laicis ca-
licem dari vetuit; quod idem fecit Tridentina, quamvis
(ut ipsa loquitur) redemptor noster in supremâ illa cœnâ, hoc
sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tra-
diderit.

COMMU-
NICATIO
SUB UNA
SPECIE

XCIII. Verū expendatur, hominis confirmatum Gal. 3, 15.
testamentum nemo spēnit, aut superordinat; quid itaque fiet
illis, qui testamentum filij Dei truncant?

XCIV. Quatuor scriptores, qui institutionem
enarrant, omnes ita narrant, ut materiam hujus sacra-
menti panem & vinum dicant. Qui igitur alterum sub-
trahit, nō ille essentiam sacramenti oppugnat. Materia
enim ad essentiam pertinet.

XCV. Porrò essentia sacramenti, ut antè ostend-
sum est, ab institutione dependet. Institutum autem est
non tam in pane, sed & in vino.

Mm

XCVI. Con-

XCVI. Conjugitur immediatè distributio calicis cum distributione panis per vocem *similiter*. Quibus igitur distribuendus panis, illis quoque calix distribuatur; aut si hic subtrahatur, & ille eodem jure subtrahatur.

XCVII. Clarissima sunt verba, & quidem imperantia: *Bibite ex hoc omnes*. Dicta fortè fuerunt tum temporis solis Apostolis; quanquam quum Agnus Paschalis ab universâ familiâ solitus fuerit absumi, magis probabile quām improbabile est plures interfuisse; Apostoli tamen repræsentabant omnes fideles, aliàs neque panis neque vinum postilla ijs dari debuissent. Et quæ ad doctrinam & mores dicta spectant, non solis Apostolis sed omnibus dicta sunt Christianis. Et subjungitur: *Hic Calix N. T. est in m. s. q. p. v. e. in remissionem peccatorum*. Pro quibus igitur sanguis Christi effunditur, ijs quoque juxta institutionem in sacramento huic fini destinato impertiendus est.

XCIIX. Paulus certè præscribit Corinthiis quomodo legitimè debeant administrare sacram synaxin.
1 Cor 11,83. *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Tradit autem sub utraque specie. Et recitatâ institutione subjungit: *Quotiescumque manducabis panem hunc & calicem bibetis.* Et in trinâ subsequenti adhuc repetitione ubique panem & calicem, manducare & bibere conjugit. Et quidem cap. præcedenti de calice manifestò: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum.*

XCIX. Quod de concomitantia adferunt nihil ipsos juvat. Quamquam enim concedamus, quòd ubi corpus ibi sanguis, Christus tamen ita instituit, ut corpus sub pane ad modum cibi: sanguis sub vino ad modum potus

potus sumatur. Neque nos Christo prudenter esse convenit. Quod si per hujusmodi ratiocinationes & consequentias institutionem impugnare licet, quid caussæ fuerit, quod minus totum sacramentum aboleatur aut intermittatur. Nam per baptismum totum certè Christum induimus, Gal. 111, 27. Per fidem habitat in cordibus nostris, Eph. 111, 17. ita ut ipsius participes efficiamur, Heb. 111, 14.

C. Verum enim verò saltus quoque fit, quando introducuntur peregrina principia. Vernaculum est ipsa institutio, cui insistendum.

C I. Sicut itaque in comeditione Agni paschalis (qui typus fuit Eucharistiae) institutioni oportebat adtendere; ita & hic. Et si non dictus fuisset Pascha juxta mandatum Domini celebrasse, qui licet Agnum comedisset, tamen igne rostum non comedisset, nec cum falsamentis, neque accinctus, neque calceatus, neque tanquam abituriens; quanto minus Eucharistiam perceperit, qui calicem ad essentiam pertinentem non percepit?

Exod. 12.

C II. Perrò clarissima sunt verba Christi apud Joannem, quæ de hac materiâ interpretantur adversarij, neque nos improbamus. *Dixit eis Jesus, Amen, Amen* ^{a. 6, v. 53} *dico vobis, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Eodem planè modo, quo antè ad Nicodemum de baptismo protestatus fuerat: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* ^{c. 3, v. 5.}

C III. Demùm Pontificem, quem suprà Pontificis opponebamus, etiam nunc opponimus, & quidem <sup>dist. 2. de
consecrat.
c. 32.</sup> decretum ejus quod inter canones relatum fuit, ut

M. m. 2

mani-

276 DE COMMUNIONE SUB UNA.

manifestum fiat, hosce homines nec sacræ scripturæ nec sibi, nec suis, nec suo juri consentire. Sic enim ait Gelasius: *Comperimus, quod quidam sumtā tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruxis abstineant.* *Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipient, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Generalis hæc, quâ concludit sententia, Bellarmini de Manichæis effugium planè excludit, ut frustrà ille laboret l. iv de Euchar. c. xxvi locum eludere. Nam si divisio hujus mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire, ea certè non magis Catholicis quam Manichæis umquam concessa fuerit, aut concedi poterit.

Haec tenus de Sacramentis disputatum est: nunc ad doctrinam de Ecclesiâ, quæ per Verbum & Sacra menta colligitur & constituitur, explicandam adcingamur.



DISPU-